



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Controuersia Vnica. An gratia Christi per Dei potentiam absolutam possit
augeri?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

Expositio Textus.

VIDENDA sunt ea, quæ scribit Cai. circa propositiones in probatione primæ Conclus. assumptas, & circa vim probationis secundæ conclusionis, & circa responsiones ad argumenta, & quæ notant Valent. & Suar. circa responsionem ad tertium.

Controuersia Vnica.

Angratia Christi per Dei potentiam absolutam possit augeri?

Sententia
Doctorem.

MULTÆ recensentur à iunioribus opiniones in proposita Controuersia. Prima sententia est Capr. in 3. dist. 13. qu. vnica ad 3. Aureoli, & ad argumentum Adami, ubi dicit quinque: Primum est: Charitas & gratia viatoris secundum D. Thom. potest augeri in infinitum. Secundum est: Nec capacitas nec gratia comprehensoris aut beati potest augeri de potentia Dei ordinata, & per consequens nec gratia vel charitas Christi, qui simul fuit comprehensor & viator. Tertium est: Mens D. Thom. videtur fuisse, quod de potentia Dei absoluta quācumque gratiam informantem aliquod subiectum Deus potest in eodem subiecto intendere, augere & maiorem facere. Quartum est: Capacitas animæ respectu gratiæ est finita in actu, licet sit infinita in potentia: & ideo non potest recipere gratiam infinitam in actu, licet possit recipere gratiam infinitam in potentia, loquendo de potentia Dei absoluta. Cum autem ait S. Thom. quod capacitas animæ Christi non potest crescere nec augeri, loquitur de potentia Dei ordinata, secundum quam in anima beata non potest crescere gratia nec gloria: Vltimum est: De potentia Dei absoluta omnis gratia creata posset intendi secundum esse, cum quo stat quod aliqua gratia est summa & infinita, & nullo modo intensibilis quātum ad perfectionem rationis gratiæ, ut puta quia est dare summā speciem in genere gratiæ, qua non potest esse superior, non tamen summum in diuinitate (vita dicam) quo non possit esse superius quo ad pertinet ad indiuiduum, cuius est intensio secundum esse. Hæc ille. Quam sententiam sequuntur quo ad primum, tertium & vltimū dictum Med. & Val. super hoc art. Suar. disp. 22. sect. 2. Astur. in sua Relect. de gratia Christi, q. 3. Aluar. disp. 36. & Valq. disp. 47. c. 3. & 4. ubi ait, capacitatem animæ Christi respectu gratiæ habitualis esse infinitam, licet sit ens quoddam finitum secundum esse, & ita intelligendum esse D. Thom. Pro hac sententia citantur Gabriel in 1. dist. 17. q. 8. a. 2. conclus. 3. & 4. & in 3. dist. 13. q. vnica, a. 1. notatione 3. & a. 2. in principio, & Arim. in 1. dist. 17. q. 6. concl. 3. & Ocamus ibidem q. 8. conclus. 1. & in 3. q. 7.

Secunda sententia est Almaini & Aliacensis: qui quatuor dicunt. Primum est: Gratiam secundum rationem gratiæ non posse in eodem homine aut Angelo augeri in infinitum, neque dari posse qualitatem aliquam infinitam in ratione gratiæ, eo quod neque visio, neque dilectio crescere potest in infinitum in eodem subiecto, neque dari potest infinita. Secundum est: posse qualitatem illam secundum rationem qualitatis in infinitum augeri. Tertium est: qualitatem hanc tam in ratione qualitatis, quā in ratione gratiæ in diuersis subiectis crescere posse in infinitum, cuius dicti rationem assignant: Quia produci potest vna aliqua creatura rationalis, seu intellectualis ceteris omnibus habitus productis excellentior: iuxta quantitatem

A autem perfectionis talis creaturæ erit in ea quantitas virtutis & efficaciarum ad videndum Deum & eo fruendum: Vltimum est: Christi gratiam etiam secundum rationem gratiæ esse maximam, quæ esse potuit in anima Christi, non tamē infinitam, quia capacitas animæ Christi finita est.

Tertia sententia huic satis proxima est Durandi in 3. dist. 13. q. 1. Carthusiani & Ricardi, q. 2. S. Bonau. in 2. parte eiusdem dist. a. 1. q. 4. & Driedonis lib. 2. de captiuitate, & redemptione, capit. 2. parte sexta, sententia octaua, qui dicunt gratiam Christi ex parte essentiae suæ crescere posse in infinitum, eo quod sit formalis participatio Deitatis, quæ infinite est participabilis, sed ob incapacitatem subiecti augeri non posse: quia anima Christi finitam habebat gratiæ capacitatem, quæ tota fuit impleta.

Vltima sententia est S. Doct. in hoc articulo dicentis gratiam Christi augeri non posse, neque ex parte gratiæ, neque ex parte subiecti: quod dictū quo ad vtranque partem ostendimus in articulo præcedenti intelligendum esse de augmento secundum Dei potentiam absolutam, quod etiam infra probauimus ex pluribus locis doctrinæ S. Th. Sententiam hanc sic intellectam sequuntur Scotus in 3. dist. 13. §. Ad primam questionem dico, & Authores allegati pro tertia opinione, & Cai. hic, & articulus præced. 9. & 10. & infra q. 10. a. 4. & in 2. q. 2. a. 7.

supponenda sunt hic primo ea, quæ late diximus in 1. Contr. ad articulum præced. ubi præcipua præsentis Controuersiæ definiendæ iecimus fundamenta & difficiliora aduersariorum diluimus argumēta.

Secundo notandum est, gratiam, quam diximus esse participationem diuinæ naturæ, dupliciter posse considerari: Vno modo quatenus præcise participatio est diuinæ naturæ: & secundum hanc rationem habet, ut ei non repugnet, sed maxime congruat augeri posse, saltem per Dei potentiam absolutam in infinitum: alioquin finita & exhaustibilis esset naturæ diuinæ perfectio & adæquari posset à Creatura: & secundum hanc rationem seu considerationem procedunt rationes D. Th. in 2. q. 2. a. 7. quibus probat charitatem, ac proinde etiam gratiam esse augmentabilem in infinitum: quibus etiam videtur in 1. dist. 17. q. 2. a. 4. & ad Anibaldum eadem dist. q. 4. a. Alio modo potest considerari gratia, quatenus est diuinæ naturæ participatio ad talem speciem determinata: & secundum hanc rationem repugnat illi augmentum in infinitum: Quoniam ut ait S. D. in Textu, sicut aliarum formarum ex diuina sapientia est determinata mensura in ordine ad proprium cuiusque finem, ita & gratiæ habitualis mensura determinata est in ordine ad eius finem, qui est vnio creaturæ rationalis ad Deum in persona: non potest autem esse nec intelligi maior vnio creaturæ rationalis ad Deum, quam quæ est in persona: Ergo gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiæ possibilem, etiam per Dei potentiam absolutam: probatur hæc consequentia: Quia gratia Christo collata fuit dispositio & ornamentum vnioni quam maxime congruens: igitur in Christo tota fuit gratiæ possibilis plenitudo. Deinde quælibet forma & res creata hoc ipso, quod est ad speciem per essentialem & vltimam differentiam determinata, certam etiam ac determinatam habet suæ perfectionis intensiue latitudinem: Sicut enim forma quælibet intrinsece & ex sui natura limitatur ad speciem, sic & ad certam ex sui natura determinatam est suæ perfectionis latitudinem: sicut enim specifica ita & gradualis formæ determinatio ad eius intimam videtur perfectionem pertinere: actui namque per se primo videtur determinatio conuenire, sicut in determinatio propria est po.

Resolutio.
Gratiæ capacitas, ut sunt diuina participatio, augeri posse in infinitum, sed non ut sunt ad talem speciem determinatam, & gratiam Christi nec per Dei potentiam absolutam augeri posse.

est potentia: igitur utraque prædicta determinatio conuenit in eadem cuilibet formæ creatæ hoc ipso, quod forma & actus est, siue sit ordinis naturalis siue supernaturalis. Et eodem modo distinguendum est de charitate in nobis ex diuina charitate deriuata, potest enim duobus modis considerari: Vno modo: quatenus præcise est participatio diuinæ charitatis, & secundum hanc rationem non repugnat ei esse augmentabilem in infinitum: Alio modo ut est ad talem speciem determinata: & secundum hanc rationem repugnat ei esse augmentabilem in infinitum absolute loquendo: quod dico propter charitatem viam: quæ ut est charitas viæ, est augmentabilis in infinitum, cum tamen absolute terminum habeat augmenti. Et potest adaptari eadem distinctio cuiuslibet perfectionis simpliciter in nobis ex simili in Deo existente perfectione deriuata.

Tertio notandum est dictum illud D. Tho. in 3. dist.

17. q. 7. art. 4. & 2. 2. q. 24. a. 7. nimirum aucta gratia & charitate augeri capacitatem animæ ad maiorem adhuc gratiam & charitatem recipiendam, dupliciter intelligi posse: Vno modo, considerata natura gratiæ & charitatis præcise, & potentia animæ absolute ad has perfectiones spirituales recipiendas: & ita verum est semper augeri talis potentia capacitatem, ut probat S. Thom. in 3. loco notato: Alio modo, considerata gratia & charitate, ut sunt ad suas species per vltimas differentias determinatæ, & potentia animæ, prout has perfectiones respicit ut sic determinatæ: & ita falsum est aucta gratia & charitate augeri semper in anima capacitatem ad gratiam & charitatem: Nam si gratia & charitas recipiantur in anima secundum totam suæ perfectionis plenitudinem, tunc non augebitur, sed cōplebitur tota capacitas animæ: Et quia S. D. locis allegatis probare solum intendebat charitatem viam nullum habere terminum augmenti, ideo medium illud assumpsit primo modo consideratum: quod efficaciter probat intentionem: nam gratia & charitas in anima participatæ capacitatem eius augent: absolute loquendo: & cum charitas in puro viatore nunquam habeat totam suæ perfectionis plenitudinem, consequens est, ut durante via semper aucta gratia & charitate, augeatur etiam capacitas ad ampliorem gratiam & charitatem, & nunquam compleatur: quia durante via nunquam aduenit plenitudo gratiæ & charitatis.

Hanc autem esse mentem D. Th. patet ex eius doctrina in 3. dist. 13. q. 1. a. 2. q. 3. in secundo argum. & eius respon. Argumentum est: Quanto magis additur intellectui naturæ de perfectione, tanto magis augetur eius capacitas: unde secundum Philosophum in 3. de Anima: quanto intellectus intelligit magis difficilia, plus etiam potest intelligere: Sed capacitas amplioris gratiæ facit possibilitatē ad augmentum: Ergo quantumcunque homo habeat perfectam gratiam, remanet possibilitas ad augmentum, & ita videtur quod Christus potuit proficere in gratia. Responso est: Hoc intelligendum est de capacitate intellectus naturæ circa finem, ultra quam nulla capacitas alius rei extenditur: sicut intellectus in statu viæ, quantumcunque proficiat, nunquam peruenit ad modum intelligendi, qui erit in patria. Hæc ibi, & in corpore quæstionulæ, licet ait: Augmentum non competit rei secundum quod est in termino, sed secundum quod est in via ad terminum: quia secundum quod res est in termino, tota potentialitas capacitatis eius est impleta ex fine implente, & ideo non habet ulterius, quo crescat: Et quia anima Christi fuit ab initio conceptionis in vltimo vnita non solum per fruitionem perfectam, sed etiam communicando in persona Verbi, gra-

tia eius crescere non potuit: Et in responsione ad primum ait: Cuiuslibet finis potest fieri additio, mathematice loquendo, quia ratio quantitatis, quam solum mathematicus considerat, non prohibet, quin possit infinito aliquid addi: prohibet autem additionem talem formam, quam considerat naturalis: & ideo secundum naturalem non est verum, sed secundum imaginationem tantum, & similiter in proposito, ut ex dicto patet, quia nec gratia potest esse maior comprehensioris, nec gloria maior, quam creatura vnita Deo in persona. In quibus duo sunt, quæ maxime fauent proposito nostro. Primum est, impletam fuisse totam gratiæ capacitatem in anima Christi, & ideo gratiam eius augeri non potuisse. Secundum est, quod, licet quantitas ut sic non prohibeat in rebus corporeis additionem, eam tamen prohibet forma naturalis, & sic esse in proposito, quod gratia comprehensioris in Christo instar formæ naturalis non potest esse maior nec gloria maior: Nam de capacitate sermo est, quæ non est potentia naturalis, sed obediencialis, & de modo impletionis, qui est per affectionem termini ad quem per se primo gratia secundum totam suæ perfectionis latitudinem ordinatur: igitur propter habitam totam gratiæ possibilem perfectionem non potuit secundum eam crescere anima Christi, & ideo neque gratia comprehensioris potest per Dei potentiam esse maior, quam gratia animæ Christi, neque gloria maior quam gloria animæ Christi, ut magis aperte docet idem S. Doct. ad Ambaldum in 3. dist. 13. quæst. vnica, art. 4. ubi sic loquitur: Augmentum non competit rei secundum quod est in termino, sed secundum quod est in via ad terminum: quia secundum quod res est in termino, tota potentialitas capacitatis impleta est ex fine implente, & ideo non habet ulterius, quo crescat: Cum autem gratia detur homini ad hoc, ut per eam homo Deo vnietur, tunc gratia ad suum terminum peruenit, quando Deo maxime vnietur: non autem potest magis vniri, quam in persona: & ideo gratia hominis vniti est in termino, & augeri non potest, sed proficit secundum actus: & sic intelligitur Christus gratia proficisse. Quod autem obijciatur, quod omni finito possibilis est additio. Dicendum, quod loquendo de finito, & additione mathematicæ, id est secundum imaginationem, verum est, sed loquendo naturaliter, verum non est: Nam omnium naturarum constantium terminus est, & ratio magnitudinis, & augmenti: & ideo gratia Christi augeri non potuit, quia tanta fuit eius capacitas, ultra quam augmentum esse non potuit remanente natura humana, seu natura creatæ, & Deus non potest facere aliquam capacitatem incretam. Hæc ibi Sanct. Doct. Vbi notanda sunt vltima verba, quæ de potentia loquuntur absoluta: Sed pro maiori dictorum intelligentia obseruandum est, quod paulo ante diximus, nimirum gratiam non secundum quemcunque gradum, sed secundum totam suæ perfectionis latitudinem ad vniionem hypostaticam, ut eius dispositionem & ornamentum ordinari, sic enim supremum infimi attingit infimum supremi, gratia namque habitualis inferior est vniione hypostatica, & ideo per se loquendo non potest eam attingere, ut eius dispositio & ornamentum, nisi quatenus est in summo suæ possibili perfectionis, sicut patet in partibus vniuersi & in singulis entibus naturaliter ordinatis: Itaque si Deo placuisset animæ Christi minimum gratiæ gradum infundere, & sic eam vnire personæ Verbis, ea gratia non impleset totam animæ Christi capacitatem, licet esset in termino: quia vniio hypostatica non est, per se loquendo terminus, nisi gratiæ existentis in summo suæ perfectionis: minima vero gratia non ex intrinseca sua perfectione, sed

Sensu verborum D. Th.

Ex anima capacitate, & ex ratione disposita ad vniionem non ostenditur Christi gratiam esse summam, & augeri non posse per Dei potentiam absolute.

D

E

sed quasi per accidens vnionem illam attingeret: A
quia scilicet non ex se sed ex sola diuina voluntate
ad illā ordinaretur. Cum ergo probat S. D. Chri-
sti gratiam augeri non posse, quia pertingit ad ter-
minum, qui est vnio cum Deo personalis, loquitur
de pertingere ad terminum non ab extrinseco
tantum, & quasi per accidens, sed per se & ab in-
trinseco: quo modo sola summa gratia per se or-
dinatur ad vnionem cum Deo personale, & eam
assequitur agente diuina voluntate, quæ gratiam
talis naturæ creauit, vt secundum summam sui
perfectionem congruitatem haberet naturalem
ad vnionem in hypostasi cum Deo.

*Quarto notandum est gratiam Christi posse qua-
rur modis considerari. Primo secundum physicam
suam perfectionem: Secundo secundum perfectio-
nem eius moralem, quam supradiximus esse tri-
plicem & infinitam. Rursus gratia Christi primo
modo tripliciter potest considerari: Primo secū-
dum intrinsecam suam perfectionem: quæ du-
plex est, scilicet essentialis & gradualis: Secundo
in ordine ad ipsum subiectum, scilicet Christum:
Tertio in ordine ad causam efficiētem, quæ Deus
est. Quarto in ordine ad vnionem hypostaticam,
ad quam disponit & quam exornat.*

*Altero sciendum est, duplicem esse in anima no-
stra capacitatem gratiæ: Alteram proximam, quæ
est voluntas cum supernaturali motione & cona-
tu, quo disponitur ad gratiam: & alteram remo-
tam & radicalem, quæ est ipsa animæ essentia, pro-
ut est totaliter Deo subiecta, vt in ea fiat aut in se
recipiat, quidquid in ea Deo placuerit operari.*

*PRIMA CONCL. Gratia Christi secundum tres
morales suas perfectiones augeri nō potest. Probat: quia
secundum eas est infinita, vt ostendimus in prima
controuersia ad a. preced.*

*SECUNDA CONCL. Gratia Christi secundum phy-
sicam suam perfectionem essentialē non potest augeri.
Probat: quia cuiuslibet rei & essentia perfectio
consistit in vna ratione specifica per vltimam dif-
ferentiam determinata, quæ formaliter est indi-
uisibilis, nec recipit magis & minus. Nam vt ait
S. D. in 1.2.q.52.a.1. Illud secundum quod sorti-
tur aliquam speciem, oportet esse fixum & stans &
indiuisibile: quod ibi probat & explicat optime
Cai. Igitur gratia Christi & alia quæcunque gratia
secundum physicam suam perfectionem essentia-
lem non potest augeri. Sicut nec ratio specifica &
essentialis albedinis, nigredinis aut caloris potest
augeri, quamuis albedo, nigredo &c. possint au-
geri eo modo, quo declarat ibi S. D. & Cai.*

*TERTIA CONCL. Gratia Christi secundum intrinse-
cam suam perfectionem gradualem augeri non potest nec
per Dei potentiam ordinariam, nec per Dei potentiam ab-
solutam. Probat: hæc Conclusio ex dictis D. Th.
in hoc a. supra notatis, & præcipue ex iis, quæ retuli-
mus in 1. Contr. ad a. preced.*

*Sed dicunt quidam recentiores primo loca illa
intelligenda esse de Gratia Christi secundum ra-
tionem suæ speciei, secundum quam dicitur sum-
ma & infinita, quia perfectiones donorum & vir-
tutum illi connaturales habet integre, ita vt nulla
perfectio connaturalis gratiæ non includens im-
perfectiōem illi desit, & ideo dicitur Christo da-
ta sine mensura, quia datur ad omnem bonum v-
sum: Has autem perfectiones & effectus habere
posset etiam si esset remississima. Secundo dicunt gra-
tiam Christi secundum esse, quod habet in Chri-
sto, habere totam intensiōem possibilem de le-
ge siue de potentia Dei ordinaria: quæ videtur es-
se doctrina Capr. in 1. dist. 17. q. 2. ad 2. tertio loco con-
tra primam Concl. & in 3. dist. 13. q. vnica, a. 3. §. Ex qui-
bus. Sed hanc responsionem esse contrariam men-*

ti D. Th. patet ex ijs, quæ diximus in allegata prima
Contr. ad præcedentem. a. & ex supradictis. Quibus ad-
de discursum D. Th. in de Ver. q. 29. a. 3.

*QUARTA CONCL. Gratia Christi per ordinem ad
subiectum, quod est anima Christi, non potest augeri.
Probat: quia implet totam eius capacitatem,
vt ait S. D.*

*VLTIMA CONCL. Gratia Christi per ordinem ad
Dei potentiam absolute loquendo non potest augeri, sed tã-
tum considerata præcise gratia, prout est participatio diui-
næ naturæ. Prima pars probatur: Quia summam
gratiam augeri implicat contradictionem. Secun-
da pars patet ex dictis.*

*CONTRA tres vltimas concl. argumentatur Capr. Ob. 1. cont. 3.
in 3. dist. 13. q. vnica, a. 3. ad 3. Aureoli. Primo: quia S. Th. de Ver. q. 29. a. 3. ad 2. & ad 6. significat gratiam
Christi augeri posse per Dei potentiam absolutam:
Nam ad 2. ait: Capacitatem obedientiæ in creatu-
ra, secundum quam recipere potest aliquid à Deo,
impleri non posse, quia quidquid Deus de crea-
tura faciat, adhuc remanet in potentia recipien-
di à Deo. Et ad 6. ait, capacitatem animæ Christi
esse finitam, & Deum posse maiorem capacita-
tem facere & meliorem creaturam, quam sit ani-
ma Christi, si per intellectum separatur à Verbo,
nec tamen sequi, quod possit facere meliorem
Christum, quia Christus habet ex alio bonitatē,
scilicet ex vnione ad Verbum, ex qua parte eius
bonitate maior intelligi nequit. Igitur de poten-
tia Dei absoluta gratia Christi potest augeri secun-
dum D. Th. Resp. D. Th. in his locis non loqui de
capacitate determinate respectu gratiæ, sed indi-
stincte respectu actionum & actuum supernatu-
ralium à Deo in creatura receptibilium, vt patet
conferenti responsiones cum argumentis: licet e-
nim ibi quæstio esset de gratia Christi, argumen-
ta tamen non de capacitate gratiæ tantum, sed de
capacitate supernaturalium indistincte loquun-
tur, vt patet attente consideranti discursus illos.*

*CONTRA easdem concl. argumentatur Medina. Pri-
mo: quia gratia disponit ad visionem beatificam,
quæ non habet terminum, Deus enim in infinitum
est visibilis: Ergo gratia non habet terminum.
Resp. Visionem creaturæ beatificam habere termi-
num secundum se, sicut omnes alia formæ & qua-
litates creatæ, & visionem animæ Christi summā
esse & habere totam suæ speciei possibilem inten-
sionem. Et quamuis Deus secundum se sit infinite
& in infinitum visibilis perfectiori modo consi-
derata diuinæ essentia & diuinæ visionis infinita-
te à nobis participabili, si tamen hæc diuinæ visio-
nis participatio consideretur vt ad talem speciem
per essentialē differētiā determinatā, finitam
ac limitatā habet suæ perfectiōis latitudinem,
sicut & quælibet alia forma & species creata, vltra
quam non potest intendi: Quod idem dicendum
est, de lumine gloriæ in beatis participato.*

*Secundo affert autoritatem D. Th. ex 2.2.q. 24. Obi. 3.
art. 7. Cuius sensum supra declarauimus.*

*Tertio arguit: Quia S. Th. in 1. p. q. 61. a. 6. docet
Angelis datam fuisse gratiam secundum quantita-
tem suarum naturarum, ita vt Angelo perfectiori
in natura data fuerit perfectior gratia: Sed quo-
cunque gradu naturæ dato, potest Deus perfectio-
rem producere secundum communem cursum:
Ergo quocunque gradu gratiæ dato potest Deus
perfectiorem producere secundum communem
cursum. Respon. nullam esse conseq. argumenti:
Quia creatis iam Angelis collata gratia non adæ-
quat totam gratiæ possibilem perfectionem: quæ
tamen posset adæquari per gratiæ intensiōem
seu quantitatem, quam dare posset Deus Angelis
determinatis, puta centum perfectioribus in na-
tura à*

rura à Deo creabilibus, vel etiam ijs, qui modo A creati sunt, ita vt ceteris omnium perfectissimus summam haberet gratiæ perfectionem Deo possibilem: quod si alios adhuc eo perfectiores crearet, non posset, nisi summam qualem ceteris contulisset, gratiam impertiri.

Obi. 5.

Contra eandem concl. argum. Suar. Quia augmentum non repugnat gratiæ, hoc solo, quod forma accidentaliter est essentialiter finita, neque quatenus est talis forma: Ergo. Antecedens quo ad primam partem probatur: quia non omnis progressus in infinitum repugnat formæ finitæ, vt patet in quantitate, quæ in infinitum augeri potest, neque in augmento intensiōis est specialis aliqua repugnantia, quando alioquin forma intensibilis est: B quia neque per talem intensiōem mutatur species aut essentia finita, neque forma ipsa in re habet aliquando infinitam perfectionem, sed semper finitam. Quo ad secundam vero partem probatur idem antecedens: Quia gratia quatenus talis forma est, habet omnia principia accommodata augmento: quia est participatio infinitæ naturæ, quæ solum ab infinito agente, tanquam à principali causa communicari potest & per se, vel facultates suas in infinitum obiectum, prout in se est tendit & illi nunquam adæquat: ergo. Et confirmatur. Primo: Quia visio Dei finita semper augeri potest, gratia vero est quædam forma, cui est connaturalis illa Visio. Secundo confirmatur: Quia nulla potest assignari ratio, propter quam repugnet hominem habentem huiusmodi gratiam quantumvis perfectam mereri augmentum illius & beatitudinis, vnde etiam Christus per absolutam Dei potentiam mereri potuit augmentum suæ gratiæ & gloriæ. Resp. ad primam partem antecedentis, augmentum secundum intensiōem in infinitum repugnare formæ finitæ, quia per talem intensiōem mutaretur species, eo quod, vt ante diximus, qualibet res secundum suam speciem & essentialem differentiam vendicat sibi determinatam suæ perfectionis latitudinem, vltra quam impossibile est eam extendi, vt patet de albedine, quæ si esset subsistens finita esset, positiue loquendo, & totam haberet suæ perfectionis, ac intensiōis possibilem latitudinem, nec vltra eam posset extendi. Ad secundam partem eiusdem D antecedentis dico gratiam: quatenus talis forma est, dupliciter posse considerari: Vno modo præcise quatenus participatio est diuinæ naturæ: Alio modo quatenus participatio est diuinæ naturæ ad talem speciem per essentialem & ultimam differentiam determinata: quamvis secundum primam considerationem non repugnet gratiæ in infinitum augeri, repugnat tamen illi secundo modo considerata, atque ideo simpliciter loquendo repugnat illi augmentum in infinitum.

Conf. 1.

Conf. 2.

Solutio.

Ad confirmationes patet responsio ex supradictis. Contra eandem concl. argum. Vasq. disput. 47. cap. 3. Quoniam homo iustus nouis operibus in Deo factis, quibus in dies magis ac magis meretur vitam æternam, magis, ac magis iustificatur apud Deum, neque vnquam perueniet ad statum, in quo per noua opera non mereatur: Ergo neque vnquam ad aliquem statum perueniet, in quo non possit in sanctificatione crescere: Ergo potest etiam habitus gratiæ in homine iusto augeri in infinitum: Probatur consequentia: quia per habitum eodem genere iustitiæ & gratiæ constituitur homo Filius Dei adoptiuus, quo constituitur per opera, & sanctificatio per habitum responderet sanctificationi per opera: Ergo si adoptio crescere potest in infinitum per bona opera, eodem modo crescere poterit per habitum, qui respondit operibus. Respon.

ad conf. Obi. 6.

Solutio.

hoc argumento nihil aliud probari, nisi iustificationem & gratiam in infinitum augeri infra terminos viæ: quod nos etiam supra docuimus cum D. Thom. & Cai.

Contra eandem concl. producit Aluar. duo argumenta, quorum solutio patet ex dictis.

Contra eandem concl. argumentantur quidam recentiores. Primo: quia qualibet gratia quantumvis maxima, est principium quo meremur maiorem gratiam: Ergo data qualibet gratia quantumvis intensissima, est habilis alia maior. Antecedens est D. Tho. in 1. 2. q. vltima art. 8. & probatur: quia gratia ex natura sua est radix actuum, quibus meretur suum augmentum, & hanc naturam non amittit per maximam intensiōem, quia per illam magis perficitur in sua essentia individuali: Ergo quanto magis crescit, tanto magis est principium actus, quo meretur suum augmentum. Consequentia vero probatur: quia meritum non est, nisi respectu præmii possibile: ergo si qualibet gratia quantumvis intensissima, est principium meriti sui augmenti, consequens est vt sit possibile maior eius intensio. Confirmatur: quia statui peccati, Conf. quantumvis maximo, non repugnat augmentum, quia nullus tantum peccabit in hac vita, quin ea durante possit amplius peccare iuxta illud Apoc. Qui in sordibus est, sordescat adhuc: Ergo nec repugnat statui gratiæ: Probatur consequentia: quia proportionaliter se habent: Vnde Rom. 6. dicitur: Sicut exhibuistis membra vestra seruire iniquitati ad iniquitatem (id est ad augmentum peccati) ita exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem (id est in augmentum sanctificationis.) Vt etiam explicat Concilium Trid. sess. 6. cap. 10. Resp. Solutio.

falsum esse antecedens. Ad probationem ex D. Tho. dico S. Th. ibi non loqui de gratia vel charitate, quatenus est intensissima sed absolute, gratiæ vero & charitati, quatenus est intensissima & in summo, repugnat augeri hoc ipso, quod est in summo. Secundo dico D. Thom. ibi loqui de augmento gratiæ infra latitudinem status viæ, in quo secundum legem Dei ordinariam gratia & charitas nunquam est in summo. Ad rationem autem dico, gratiam ex natura sua esse radicem actuum, quibus meretur suam intensiōem, si sit in statu capaci intensiōis, non autem si sit extra statum illum, sed sit in statu, cui non congruat augmentum secundum legem Dei, vt patet in gratia beatorum & Christi: vel etiam cui repugnet augmentum, vt si sit summa totam habens suæ perfectionis possibilem latitudinem: sicut etiam humana natura in quolibet homine principium est augmenti in statu pueritiæ & iuuentutis, non autem in statu virilitatis & senectutis. Ad confirmationem negatur ad Conf. consequentia: quia malum contingit omnitanti, bonum autem confurgit ex integra causa. Ad probationem dico proportionem illam Apostoli fundari in augmento gratiæ & peccati seu iniquitatis præcise sumendo gratiam & iniquitatem, non aut prout est in tali vel tali statu: nam quo ad hoc differunt gratia & iniquitas, quod hæc nullum habet nec habere potest statum, in quo secundum legem aliquam Deo possibilem augeri non possit ob dictam causam, quia malum contingit omni omnifariam: de qua videndus est S. Th. in 1. q. 48. a. 4. vnde etiam Diabolus in omni actu suo deliberato mortaliter peccat, cum tamen beatus in nullo suo actu mereatur: gratia vero statum admittit, cui repugnat augmentum, vt diximus. Radix huius differentię est, quia non est possibile esse summum malum, vt probat S. Doct. in 1. p. q. 49. vbi allegat dictum illud Arist. in 4. & hic. Si malum in se ipsum sit, seipsum destruet.

Secundo

Secundo arguunt: Quia potentia obedientialis animæ ad gratiam non potest impleri, ut ait San. Tho. supra q. 1. a. 3. ad 3. & in 3. dist. 1. q. 1. a. 3. ad 4. & de Ver. q. 29. a. 3. ad 3. ergo. Resp. falsum esse antecedens, nec D. Th. in his locis loquitur de capacitate obedientiali ad gratiam, sed de capacitate obedientiali absolute siue in communi, vel indifferenter ad quemcumque actum supernaturalem, aut effectum potentia diuinæ supra rerum naturas & ordinem operantis.

ARTICVLVS XIII.

Qualiter gratia Christi habitualis se habeat ad vnionem.

Ad tertium decimum sic proceditur. Videtur, quod gratia habitualis in Christo non subsequatur vnionem. Idem enim non sequitur ad seipsum. Sed hac gratia habitualis videtur eadem esse cum gratia vnionis: dicit enim August. in libro de Predestin. Sanctorum, & gratia fit ab initio fidei sua homo quicumque Christianus, quæ gratia homo ille ab initio suo factus est Christus. Quorum duorum primum pertinet ad gratiam habitualem, secundum ad gratiam vnionis. Ergo videtur, quod gratia habitualis non subsequatur vnionem.

Præterea: Dispositio præcedit perfectionem tempore, vel saltem intellectu. Sed gratia habitualis videtur esse sicut quadam dispositio humana nature ad vnionem personalem. Ergo videtur, quod gratia habitualis non subsequatur vnionem, sed magis præcedat.

Præterea: Commune est prius proprio. Sed gratia habitualis est communis Christo, & aliis hominibus, gratia autem vnionis est propria Christo. Ergo prior est secundum intellectum gratia habitualis, quam ipsa vnio: Non ergo sequitur eam.

Sed contra est, quod dicitur Isa. 42. Ecce seruus meus, suscipiam eum: & postea sequitur, Dedi Spiritum meum super eum: quod quidem pertinet ad donum gratie habitualis. Vnde: Inquitur, quod susceptio nature humane in vnitate persone, præcedat gratiam habitualement in Christo.

Respondetur dicendum, quod vnio humana nature ad diuinam personam (quam supra diximus esse ipsam gratiam vnionis) præcedit gratiam habitualement in Christo: non ordine temporis, sed nature, & intellectus.

Et hoc triplici ratione: primo quidem secundum ordinem principiorum vtriusque. Principium enim vnionis est persona Filius assumens humanam naturam, quæ secundum hoc dicitur missa esse in mundum, quod humanam naturam assumpsit. Principium autem gratie habitualis, quæ cum charitate datur, est Spiritus Sanctus, qui secundum hoc dicitur mitti, quod per charitatem mentem inhabitat. Missio autem Filii secundum ordinem nature, prior est missione Spiritus Sancti, sicut ordine nature Spiritus Sanctus procedit à Filio, & à sapienti dilectio. Vnde & vnio personalis, secundum quam intelligitur missio Filii, est prior ordine nature habituali gratia, secundum quam intelligitur missio Spiritus Sancti. Secundo accipitur ratio huius ordinis ex habitudine gratie ad suam causam. Gratia enim causatur in homine ex præsentia diuinitatis, sicut lumen in aere ex præsentia Solis: vnde dicitur Ezech. 43. Gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem, & terra splendebat à maiestate eius. Præsentia autem Dei in Christo intelligitur secundum vnionem humanæ nature ad diuinam personam: vnde: gratia habitualis Christi, intelligitur ut consequens hanc vnionem, sicut splendor Solem.

Tertio ratio huius ordinis sumi potest ex fine gratie: ordinatur enim ad bene agendum. Actiones autem sunt suppositorum, & indiuiduorum. Vnde actio, & per consequens gratia ad ipsam ordinans præsupponit hypostasim operantem. Hypostasis autem non præsupponitur in humana natu-

ra ante vnionem: ut ex supra dictis patet. Et ideo gratia vnionis secundum intellectum præcedit gratiam habitualement.

Ad primum ergo dicendum, quod Aug. ibi gratiam nominat: gratiam Dei voluntatem, gratis beneficia largientem. Et propter hoc eadem gratia dicit hominem quemcumque fieri Christianum, quia gratia factus est homo Christus: quia virumque, gratuita Dei voluntate absque meritis factum est.

Ad secundum dicendum, quod sicut dispositio in via generationis præcedit perfectionem, ad quam disponit in his, quæ successue perficiuntur: ita naturaliter perfectionem sequitur, quam aliquis iam consecutus est: sicut calor, qui fuit dispositio ad formam ignis, est effectus profluens à forma ignis iam præexistens. Humana autem natura in Christo vnita est personæ Verbi à principio, absque successione. Vnde gratia habitualis non intelligitur, ut præcedens vnionem, sed ut consequens eam, sicut quadam proprietas naturalis. Vnde, & Aug. dicit in Ench. quod gratia est quodammodo Christo homini naturalis.

Ad tertium dicendum, quod commune est prius proprio, si vtrunque sit vnius generis. Sed in his, quæ sunt diuersorum generum, nihil prohibet proprium esse prius communi. Gratia autem vnionis non est in genere gratie habitualis: sed est supra omne genus, sicut & ipsa diuina persona.

Vnde hoc proprium nihil prohibet esse prius commune: quia non se habet per additionem ad commune, sed potius est principium, & origo eius, quod est commune.

Sensus quaesiti.

QUÆSTIO est de ordine & modo & causa ordinis, an scilicet gratia habitualis præcedat vnionem tempore vel natura, ut eius propria dispositio, vel sequatur ad eam ut passio, vel ut eius effectus.

Forma Textus.

CONCL. est: Vnio humana nature ad diuinam personam, quæ est ipsa gratia vnionis, præcedit gratiam habitualement in Christo non ordine temporis, sed nature & intellectus. Probat triplici ratione. Prima, quæ sumitur ex ordine principiorum vtriusque gratie, scilicet vnionis & habitualis, est hæc: Missio filii secundum ordinem nature prior est missione Spiritus Sancti: Ergo & gratia vnionis personalis est prior ordine nature gratia habituali. Antecedens probatur: quia ordine nature Spiritus Sanctus procedit à Filio, & à sapientia dilectio. Consequentia vero probatur: quia principium vnionis est persona filii, quæ secundum hoc dicitur missa in Mundum, quod humanam naturam assumpsit. Principium autem gratie habitualis, quæ cum charitate datur, est Spiritus Sanctus, qui secundum hoc dicitur mitti, quod per charitatem mentem inhabitat. Secunda ratio sumitur ex habitudine gratie ad suam causam, & est talis: Gratia causatur in homine ex præsentia diuinitatis: Ergo gratia habitualis in Christo intelligitur consequens hanc vnionem. Antecedens declaratur: quia sicut lumen in aere causatur ex præsentia Solis, ita gratia ex præsentia diuinitatis, ut significatur Ezech. 43. cum dicitur: Gloria Dei Israel ingrediebatur per viam Orientalem, & terra splendebat à maiestate eius. Consequentia vero probatur: quia præsentia Dei in Christo intelligitur secundum vnionem humanæ nature ad diuinam personam. Tertia ratio sumitur ex fine gratie hoc modo: Actio & gratia habitualis ad ipsam ordinans præsupponit hypostasim: Ergo gratia vnionis secundum intellectum præcedit gratiam habitualement. Antecedens probatur: quia actiones sunt suppositorum & indiuiduorum: Ergo actio & multo magis gratia ad ipsam ordinans præsupponit hypostasim operantem: Consequentia vero probatur: quia hypostasis non præsupponitur